

« alibi dicit : *Ut et ipsi recipiant vos in aeterna tabernacula*; non enim pauperes ipsi, sed Christus mercedem his, qui elemosynam fecere, redditorus est. »

8. — Unde Chrysologus, *Serm.* viii, ait : « Manus pauperum est gazophylacium Christi, quia quid quid pauper accipit, Christus acceptat. » Nota est illud de S. Martino vulgata historia, quod dum ille etiamnum miles existens, pauperi prae frigore rigescenti, militaris chlamydis suae medietatem ex compassione Christiana elargiretur, Christus eandem coram toto caelesti Paradiso spectandam praebens, dixerit : « Martinus adhuc Catechumenus haec me veste contexit; » me, inquit, pauperis nullam faciens mentionem. Idem Chrysologus, *Serm.* xiv, super illa verba : *Esurivi et dedistis mihi manducare*, ait : « Non dixit : *Esurivi pauper*, dedistis illi manducare; sed, *esurivi ego et dedistis manducare mihi*. Ah, quid agit amor pauperis? gloriatur in « celo Deus, unde pauper erubescit in terra. » D. Chrysostomus similiter scribit : « Pauper manum extendit et accipit Deus. » Quotiescumque igitur elemosyna datur, porrigiturque egeno, vitae sustentandae subsidium, duo sunt qui recipiunt, pauper scilicet, quem oculis corporeis videmus, et qui ei socius adstat, Christus, quem non corporis, sed fidei oculo conspiciamus, siquidem Evangelica veritas est, ab ipsomet Christo sub iuramento promissa et confirmata, *Matth.*, xxv, 40 : *Amen dico vobis, quomodo fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*.

*Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

9. — Lyranus ait : « Quia secundum quod opera pietatis sunt majora, ita et retributio divina. » Haec autem majoritas non secundum exteriorem operis apparentiam dimittenda venit, sed attendenda est intentio et affectus interior, quo tale opus charitatis pauperi exhibemus. Cujus exemplum in pauperecula illa vidua videmus, quae a Christo, qui scrutatur renes et corda, in duobus illis minutis praelata est opulente illi contributioni viri divitis, siquidem ut S. Cyrillus in Glossa ait : « Non parvitate oblati, sed copiam effectus intuitus est Deus. »

10. — D. Chrysostomus in *cap.* vii S. Matthaei scribens, textum hunc de iudicio temerario explicat, in cuius detestationem Christus in primis aeternam comminatur condemnationem, dicens :  *Nolite iudicare et non iudicabimini, nolite condemnare et non condemnabimini*; ac demum ut ab illo nos dehortetur, mox aliud subjungit motivum, dicens : *In qua mensura, etc.* Dicitur igitur praefatus S. Doctor : « In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabitur de vobis; non enim illum condemnas, sed te metipsum profecto condemnas et facis tibi ter-

ribilius esse iudicium, cogisque adversus te diligitentissimum fieri etiam de minimis ultionem. »

11. — Theophylactus a S. Thoma in *Catena* citatus, sequens movet dubium : « Si superfluent ter redditur, quomodo eadem est mensura? Ad quod dicimus, quod non dixit : *In tanta mensura remetietur vobis*, sed *in eadem*, qui enim benefacit, beneficit ei, quod est remetiri eadem mensura; sed superfluentem mensuram dicit, quia millies beneficit ei. »

12. — Cajetanus verba haec de retributione tam glorie quam poenae, meritis vel demeritis uniuscujusque proportionate intelligit; dicit enim : « Ne crederet puniendos aliquos supra condignum, declaratur quod mensura, qua mensi fueritis bene vel male operando, eadem proportionalter retributio tam poenae quam praemii. »

13. — S. Bonaventura id ipsum de poenis exemplificat, dum ait : « Scilicet nocendo, vel male agendo, sive demerendo, remetietur vobis, juxta illud, *Deut.*, xxv, 2 : *Pro mensura peccati erit et playarum modus*; » et in *Apocalypsi*, xviii, 7 : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*; et hoc est quod comminatur Dominus, *Joel*, iii, 4 : *Cito velociter reddam vicissitudinem vobis, super caput vestrum*.

14. — Idem quoque Seraphicus Doctor, ut sequenti respondeat objectioni, nimirum, quomodo verba illa : *Eadem mensura, etc.*, verificentur, cum videamus culpam a nobis in brevissimo tempore committi, poenam vero, quae ei correspondet aeternam esse, sequentem adducit S. Augustini auctoritatem, dicens : « Non actus temporalis, facit, ut peccatum mortale aeternaliter puniatur, sed circumstantia illius in quem peccatur, qui cum sit aeternus, implentibus mandata, praemia aeterna promittit, peccantibus vero poenam comminatur aeternam. » Quod si ulterius quis interroget, quanam sit inter cogitationem et desiderium sive lascivium, sive vindictivum, vel inter verbum aliquod, vel aliud simile peccatum mortale, quod vix alienius ponderis vel momenti esse videtur et inter poenam, quam annexam habet, quantitas proportio? Aptius illi responderi nequit, quam per illa Psalmistae verba, *Psal.* xviii, 13 : *Delicta quis intelligit?* neque enim intellectus aliquis sive humanus, ad peccati alienius gravitatem et pondus infinitum, condigne ponderandum vel aestimandum, valeat pertinere.

15. — S. Thomas, *III p. qu.* i, *art.* 2, ait : « Peccatum habet quamdam infinitatem, ex infinitate divinae majestatis, tanto enim offensae est gravior, quando major est ille, in quem delinquitur. » Quae Angelici Doctoris propositio in dubium vocari nequit, si ex una parte consideretur, quod homo peccatum committens, vilis sit terra hujus vermiculus; ex altera vero parte is, in quem peccatum illud committitur, Deus quidam sit infinite et im-

mense majestatis, qui tamen hunc vilem hominem, ad summos honores extulit, maximisque beneficiis affecit. Panygarola in oratione quadam, in laudem S. Caroli Borromei habita, Sanctum hunc de peccato dicere solitum fuisse refert : « Quid inveniri aut excogitari uspiam potest Deo magis exosum aut magis homini damnosum, peccato? Numquid enim bonitas infinita id, quod malum est, infinito debet prosequi odio? aut quomodo justitia infinita castigare posset peccatum poena infinita, id est, aeterna, nisi illud infinito modo detestaretur? » Theologi communiter dicunt, poenam, qua Dei justitia unicuique duntaxat mortale peccatum multare solet, sit citra condignum, quia tametsi anima aliqua propter unicam cogitationem mortaliter peccaminosam, visione Dei mille millionibus saeculorum in inferno privata fuerit, non tamen ideo vel minimam transgressionis suae satisfactionem datura erit; cujus ratio est, quia satisfactio valorem suum a dignitate personae eam offerentis accipit, haec autem cum extra Dei gratiam, ut hostis illius, posita sit, ejus consequenter satisfactio accepta non erit; ex alia vero parte offensae gravitatem suam ex dignitate personae offensae sortitur, quod in hoc casu infinita esse noscitur. Ad haec certum est, quod inter Creatorem et creaturam, sive inter Deum et hominem nulla prorsus sit proportio, unde deducitur, quod poena, qualiscumque et quantumcumque gravis, pro peccato, quomocumque tempore tolerata, semper sit inferior culpa, quia infiniti ad finitum nulla est proportio. Et insuper alia hujus assertionis ratio, nimirum quod damnatus per totam aeternitatem eandem retineat perversam voluntatem, in qua moritur, adeoque cum peccatum semper usque et usque duret, semper quoque vigebit ejusdem peccati supplicium. Denique impii semper voluissent vivere, ut Deum semper offendere possent, siquidem quoadque vixerunt, actus suos peccaminosos nunquam per poenitentiam revocarunt, ideoque justum est ut port mortem pariter semper castigentur, ut poena culpae respondeat.

16. — S. Gregorius sequens movet dubium, priori difficultati valde affine; dicit enim : « Scire velim quomodo justum sit, ut culpa, quae cum fine perpetrata est, sine fine puniatur? » Et respondet, rationem hanc pondus habituram esse, si Deus solum actum peccati, non vero voluntatem, a qua praecedit, consideraret; actus enim finem habet, voluntas autem adeo est perversa, ut ad offensam nunquam vellet desistere : « Respondeo, « hoc recte diceretur, si districtus iudex non corda hominum, sed facta pensaret; iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt, nam voluissent utique si potuissent, sine fine vivere, ut possent sine fine peccare; ad magnam ergo justitiam iudicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam

voluerunt carere peccato. » His adde, quod tametsi voluptas peccati momentanea fuerit, inde tamen non sequatur quod poena similiter momentanea esse debeat, imo peccator tanto magis infinitum promeritus est supplicium, quod Christianus existens poena unica brevissima voluplatula, sciens et volens se privare voluerit boni alienius infiniti, quale Deus est et gloria ejus, quae est status omnium bonorum aggregatione perfectus, in gaudio aeterno. Unde S. Augustinus, *lib.* XXI *de civit. Dei*, c. xlii, ait : « Factus est malo dignus aeterno, qui hoc in se persequitur, quod esse posset aeternum. »

#### Additiones.

a. — *Date et dabitur vobis, mensuram bonam, etc.* In dubium revocari nequit, quia usura ab omni lege condemnatur et execratur, tam naturali quam positiva, vel divina, omnes quoque canones, concilia, bullae, nihil adeo sollicito curant quam ut usuram e mandato eradicare possint. Et tamen Sapiens, *Prov.*, xix, 17, ex instinctu Spiritus Sancti usuram nobis praecipit dum dicit : *Feneratur Domino, qui miseretur pauperis*. De avaritia, vitio caeteroquin valde detestabili, philosophus quidam ait, dari quoddam avaritiae genus virtuosum et laudabile : « Unius temporis avaritia, » inquit, « honesta est. » Ita quoque in praesenti dicere possumus, usura quae ab elemosyna nascitur, non solum licita est, sed insuper a Deo magna cum sollicitudine suadet et commendatur. S. Paulinus qui ut proximo suo misericordiam exhiberet, semetipsum pro illo, cuidam domino, in servitutum perpetuam vendidit, dicit : « Da ad usuram pecuniam tuam, sed et Christo salutaris usura est. » D. Chrysostomus, hanc Salomonis sententiam ponderans dicit : « O verbum sapientissimum, qui miseretur pauperis feneratur Domino! Quare ergo non dixit : *Qui miseretur pauperis dat Deo, sed feneratur?* Scribitur nostra avaritiam novit, attendit diligenter, insatiabiliter cupiditatem nostram ad avaritiam urgere et additamentum quaerere. Si Deo feneratur, is ergo nobis debitor erit. Quem ergo tibi esse velis? Debitorem vel Judicem? Debitor veneratur fenerantem. » Idem quoque S. Doctor alibi inquit : « Vidisti fenoris naturam novam et admirabilem; alius est qui accipit et alius est qui fenoris debitorem seipsum constituit. Quare non dicitur : *Qui miseretur dat Deo, sed feneratur?* Ne vulgarem retributionem existimares. » Philo de charitate disserens ait : « Donemus gratis indigentibus, cogitantes gratiam esse genus fenoris ultra ad nos redditori feliciore accipientis tempore. » S. Basilius elemosynam donum pariter et mutuum contractum esse dicit : « Cum pauperi dare voles propter Dominum, idem et donum est, et mutuum; donum quidem quia non speras receptionem, mutuum vero propter Domini mag-

« nilentiam, qui pro ipso persolvit, qui paucis  
« per pauperem accepit, magna pro ipsis reddet. »

**b.** — Observastisne aliquando, illam Sapientis,  
*Prov.*, xi, 24, sententiam inquitis: *Alii dividunt  
propria et ditiores fiunt?* Qualiter obsecro, ditescere  
poterit qui centum scuta, præter quæ nihil possidet,  
totaliter erogaret? Responderi potest: Pennia  
reclusa manet infructifera; dum autem impenditur,  
fructum affert, capitalem summam assecurat, et  
consequenter Dominum dicit, mirumque locu-  
pletat. Ita pariter in præsentis nummi in arca  
reclusus, infructifer manet, sed pauperibus datus  
ex amore Dei, fructum affert centuplum. Unde S.  
Leo, *Serm. in Quadr.*, inquit: « Non timeatur in  
« iis expensis defectio facultatum, quoniam ipsa  
« benignitas magna substantia est, nec potest lar-  
« gitalis deesse materies, ubi Christus patet et  
« pascitur. In omni hoc opere illa intervenit manus,  
« quæ panem frangendo auget, et erogando multi-  
« plicat. Securus et hilaris sit elemosynæ distribu-  
« tor, quia tunc maximum lucrum habebit, quando  
« sibi minimum reservaverit, dicente Apostolo  
« Paulo: *Qui autem administrat semen seminanti et  
« panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit  
« semen vestrum, et auget incrementa frugum jus-  
« titiæ vestræ.* »

**c.** — Observandum est quod Salvator noster,  
postquam nos ad misericordiam et beneficentiam  
erga egenos exhortatus fuisset, dicendo: *Estote  
misericordes, sicut et Pater vester misericors est*, simul  
etiam expresserit in quoniam hæc virtus consiste-  
ret; dicit enim: *Date*. At vero quo fructu aut quali  
cum lucro idipsum fiet? Mox subdit: *Et dabitur  
vobis, mensuram bonam et conferam et coagita-  
tam, et superfluentem dabunt in sinum vestrum.*  
Quæ verba Hugo Cardinalis ita exponit: « Primo,  
« mensuram bonorum temporalium; secundo, con-  
« fertam bonorum nature; tertio, coagitatam bono-  
« rum gratiæ; quarto, superfluentem bonorum  
« gloriæ. *In sinum vestrum dabunt* plenam et secu-  
« ram possessionem. » Lyranus eadem verba de  
bonis fortunæ hoc modo exponit: « *Mensuram*  
« bonam, quantum ad bona fortunæ et nature,  
« sicut sanitas, et hujusmodi, quæ etiam aliquando  
« conferuntur propter opera pietatis. »

**d.** — Nemini ignota est pollicitatio illa evange-  
lica: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur et vobis.*  
Unde nullum est, quin juxta proportionem auxiliorum  
et suffragiorum, quæ animabus Purgatorii  
subministraverimus, Deus dispositurus sit, ut paria  
quoque nobis suffragia impendantur, quando ali-  
quando in Purgatorio venerimus. Et hunc credo  
esse sensum verborum, quæ sapiens illa mulier  
Ruth, i, 8, protulit dicendo: *Faciât vobiscum Domi-  
nus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis.* Obser-  
vandum vero est quod non dicat: *Faciât anima,*  
quia si contigeret quod hæc postquam nostris suffra-

giis fuerint liberatæ, ad imitationem pincernæ  
Pharaonis, nostrum obliviscerentur, non tamen  
nostris obliviscetur Deus, qui fidejussor noster est:  
*Faciât vobiscum Dominus misericordiam*, sicut fecistis  
cum mortuis. Ipse enim suo tempore fidelibus suis  
inspiravit, ut pro nobis suas offerant satisfactiones,  
Unde antiquus quidam auctor, qui de hæc materia  
diffuse tractat, in hæc verba scribit: « Sic enim  
« Deus sæpe disponit quod tantum quis recipiat in  
« alia vita quantum fecit libenter in hæc vita. Nam  
« juxta Bedam, indignus erit omni suffragio qui  
« defunctorum immemor fuit in hoc sæculo. » Mar-  
tinus de Roa in quodam tractatu de *Purgatorio*, hunc  
in modum discurret: Qui benefacit animabus pur-  
gantibus, bonam sibi procurat usuram, quia opera  
nostra melius collocare et assecurare non possu-  
mus, quam si illa defunctorum animabus applice-  
mus. Qui vero dat satisfactiones suas, etiamnum  
viventibus, idem facit ac si merces suas periculo-  
sissimo itinere transmitteret in Indias; viatores  
enim in mari toto tempore navigant, quo vivunt.  
Contingere autem posset, quod per tentationis  
alicujus tempestatem submergerentur, omniaque  
abirent in dispersionem, quia per peccatum amit-  
tuntur omne id quod alias lucrati fuimus. Qui autem  
bona opera sua defunctorum animabus impendit,  
ea ad censum erogat, super bonis stabilibus funda-  
tum, siquidem nunquam amitti potest, quo pro  
ipsis offertur, præterquam quod nosmetipsi eorum-  
dem bonorum reddamur participes. Animæ pur-  
gantes per nostrum creditum, sive satisfactiones  
debita sua non infallibiliter in paratis solvunt,  
donec egrediantur ex illo carcere in Paradisum ad  
fruentem Deo; nos vero et contra tot apud Deum  
nobis acquirimus intercessores, quod sunt eorum,  
qui nostris suffragiis electi sunt in celum. Imo non  
solum fruimur censu intercessionis eorum, pro eo  
tempore, quo in cælis existunt, verum etiam pro  
eo tempore, quando etiamnum delinunt in Purga-  
torio, ubi intercedere et precari pro nobis possunt,  
non vero pro seipsis.

**e.** — Delestanda est nonnullorum spiritualis  
avaritia qui adeo proprio emolumento adherescunt,  
ut adimpletis obligationibus suis, totum residuum  
satisfactionum suarum sibi metipsis applicant; ere-  
duntque quod minima satisfactio, quam pro alio  
offertur ipsis sit defutura, ad eum fere modum, ac  
si sibi ipsis panem ex ore proprio adeptum aliis  
darent. Objectioni hæc indigna est pectore Christiano  
et nobili, cui incumbit Christum imitari, de quo  
scribitur: *Languores nostros ipse tulit et dolores  
nostros ipse portavit.* Porro Deus injustum ipsorum  
supplicium permittit, ut hi tales eadem remunere-  
rentur moneta, disponendo, ut, si quando ipsi in  
his flammis fuerint constituti, nullus inveniantur,  
qui pro ipsis Deum roget, vel suffragia offerat; quia  
in qua mensura mensi estis, remetietur et vobis. In

historiis Franciscanorum de religioso quodam scri-  
bitur, qui eo quod dum viveret, orationes pro  
defunctis ex regula sua ordinatas neglexisset, post  
mortem alteri cuidam religioso ejusdem ordinis  
apparuit, eique dixit, horribiles se in purgatorio  
tolerare penas, Deumque omnia sacrificia, aliæque  
suffragia pro ipso oblata aliis applicasse; idque in  
penam suæ negligentiae, qua dum viveret, pro illis  
animabus Deum precari omisit; verumtamen Deum  
ordinasse, ut quicquid deinceps boni pro ipsis  
anima offerretur, id in ejus cederet expiationem.

**f.** — At vero opponere quis poterit et dicere:  
Quod si ego me propriis satisfactionibus, quibus  
ipemet pro me indigo privavero, quomodo mihi  
metipsi in majoribus necessitatibus constituto sub-  
venire potero? Numquid prima charitas incipit a  
seipso? Si quis pecuniam suam qua sustentare  
familiam suam debet, exponeret pro solvendis  
aliorum debitis, quomodo talis propriis necessita-  
tibus succurrere poterit? Quod si de hæc materia,  
secundum terminos humane providentiæ discurre-  
re velimus, fatendum est, prius succurrendum  
esse propriis necessitatibus: *Quod superest date  
pauperibus.* At vero in casu nostro non currit pro-  
portio, quia agimus cum Deo, cujus amore, propriis  
satisfactionibus nos privamus, scientes ipsum libe-  
ralissimum esse remuneratorem. Ipse est, qui illas  
nomine animarum illarum sibi dilectissimarum  
acceptat. Quapropter nolite timere: *Faciât vobis-  
cum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mor-  
tuis.* S. Gertrudis omnia opera sua bona quæ facie-  
bat, illis applicabat animabus quæ acerbiora patie-  
bantur tormenta, idque ut cælesti Sponso suo per  
hoc placeret; Deus autem opera ejus animabus  
illorum magis egenis assignabat. Cumque ad ulti-  
mam usque vitam ætatem pervenisset, inimicus  
infernalis aliquam ei suggesti de Deo diffidentiam,  
dicendo quod nunc sibi nulla reliqua essent pro  
anima propria merita et satisfactiones, utpote quæ  
se illis omnibus in aliorum exisset. Unde eidem ob-  
vehementiam peccatorum, quæ in Purgatorio tolera-  
ta esset, anxie apparuit Christus, eique dixit:  
« Ut videas quam mihi grata et accepta fuerit  
« ingens illa tua erga animas exhibita charitas, in  
« illius remunerationem omnes tibi condono penas,  
« quarum debitoris esse potueris; cumque centum  
« pro uno promiserim, dilatabo manum, teque  
« ampliori præmio remunerabo, tibi que gradus  
« gloriæ in mea beatitudine adaugebo et multipli-  
« cabo, atque insuper efficiam ut omnes animæ  
« suffragiis tuis mediantibus liberatæ, in hora mor-  
« tis tuæ te recipiant, et ad cælum usque te comi-  
« tantes perducant. »

**g.** — Gratias quas mediante animarum Purgatorii  
gratitudine recipimus et experimur, eo quod in  
virtute nostrorum suffragiorum et Purgatorio fue-  
rint liberatæ; has inquam experimur, non solum

per hoc, quia in hæc vita, eorum interventu, multas  
evasimus adversitates et erummas, vel quia copiosis  
cumulati sumus bonis temporalibus et spiritualibus;  
verum etiam in ultimo vita nostre articulo  
efficaciter intercedunt pro nobis. Porro similiter  
qua Psalmista utitur dum ait: *Universum stratum  
ejus versasti in infernitate ejus*, ab inferno quodam  
desumpta est, cui lectus, qui antea durus erat,  
volvendo et revolvendo, et plumas interiores extri-  
cando, mollis efficitur et delicatus. Deus itaque in  
ultima infirmitate, suffragia animabus illis sibi  
dilectis impensa remuneraturus, suam nobis  
reddit mortis agoniam, nostrum cum divina sua  
voluntate conformat arbitrium, ad resistendum et  
vincendum tentationes vires trahit, spiritum com-  
punctionis communicat, actus amoris Dei super  
omnia inspirat, facitque ut ex corde dicant: *Ego  
dixi: Domine, miserere mei, sanam animam meam,*  
« *Quam peccati tibi.* Nam ut S. Hieronymus ait:  
« *Quantam consolationem defunctis impendimus,*  
« *tantum vice versa recipimus.* » At vero sanctus  
hic Doctor parum nimis dicit, quia quisquis mira-  
cula et innumeras quas fideles ab hisce animabus  
recipiunt gratias legerit, fatebitur utique plura esse  
beneficia, quæ ab illis in nos redundant, quam  
fuerint suffragia nostra, illis a nobis applicata. *Date  
et dabitur vobis*, inquit Salvator noster: *mensuram  
bonam, et conferam, et coagitatam, et superfluen-  
tem dabunt in sinum vestrum.* Ex quo enim per  
opera nostra a legibus illius vinculis exemptæ et ad  
gloriam cælestem receptæ fuerint, et cælis nostras  
conspicientes miseras, liberales se exhibebunt,  
innumeras nobis obtinendo gratias: *Mensuram  
bonam, et conferam, et coagitatam.*

## VERSUS 39.

*Dicebat autem illis et similitudinem: Numquid  
potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in  
foveam cadunt?*

**1.** — Theophylactus verba hæc de illis exponit,  
qui cum sint ipsimet mali, ad alios tamen temere  
judicandos facillimi existunt: « Quasi dicit: Si tu  
« alium judices et ipse in eisdem peccas, nonne  
« assimilaris cæco cæcum ducenti? quomodo enim  
« illa a te ducetur ad bonum, cum et tu pecces? »

**2.** — Interlinearis ait: « *Numquid potest cæcus  
« cæcum ducere, stultus stultum docere?* » Glossa  
inquit: « Si contra violentum ira te exceperit,  
« si contra petentem avarus iras, numquid viata  
« mente tua, vitium ejus curare poteris? Nec solum  
« tibi injuriam fecit, sed etiam tu, qui ferre nescis,  
« reus eris; sed si improbitas illius te tranquillum  
« invenit, et ille penitebit, et tu de patientia coro-  
« naberis, quia cæcum vidente oculo, id est,  
« sereno corde ad lumen ducere curasti. »

**3.** — Lucas Bruggensis pariter de malo exemplo

hæc verba exponit, quod a nobis datum et a proximo notatum, non est dux vel compes ad securæ ambulandum, sed potius lapsus et officendi manifesta occasio: « Imitatus exemplum tuum, non relinquet vitium, quod in te videret locum habere, vel ex alio in aliud, ex suo in tuum vitium incurreret, et quo se tutius putabat ambulare duce te, eo ceterius peribit. »

**4.** — Toletus observat verbum illud: *Dicebat*, quod imperfecti temporis expressivum est: « Insinuat Christum multa alia prædicasse, quæ Evangelista prætermisit, nec enim omnia, quæ Christus dicit, scripta sunt. » Verbis igitur prædictis Salvator Scribas et Phariseos reprehendere voluit, qui cum ipsi vitiosi et mali essent, alios in bonis moribus et vita virtuosâ instruere satagebant.

*Videatur Peria Quarta post Domin. tertium Quadrage., v. 14.*

## VERSUS 40.

*Non est discipulus super magistrum, perfectus autem omnis erit, si sit, sicut magister ejus.*

*Non est discipulus super magistrum.*

**1.** — Lucas Brugensis ait: « Ineptus esse docetur alienorum vitiorum censor, si suorum est negligens. » Jansenius ita explicat: « Quasi dicat: Si igitur tu, qui Doctorem te aliorum præbes, ipse fueris in vitio, non est spes meliorem te posse fieri quam docere paras. »

**2.** — Discipulus ordinariæ magistro suo superior esse non solet, inquit S. Bonaventura: « Qui ergo magistro subjacente cupit præesse, magistrum suum contendit præcedere. » Unde Bernardus: « Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo et tunc non sapio quæ Dei sunt: Qui vult alius superferri, ignorat doctrinam Christi, qui ait: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Matth., xi, 29.* »

*Perfectus autem omnis erit, si sit, sicut magister ejus.*

**3.** — Dionysius Carthusianus ait: « Id est, si ei assimiliter per imitationem, aut conformiter per æqualitatem, erit perfectus in certo gradu, statu, seu ordine. »

**4.** — Albertus Magnus per hunc magistrum, nostrum in via salatis directorem intelligit: « Hoc est, ductor et Doctor, qui magis persuadet exemplo quam verbo. »

**5.** — Cajetanus ait: « Reprehenduntur, qui volunt minus sapere tam super leges quam super prælatos suos; non tam leges quam prælati magistris locum tenent. »

**6.** — S. Bonaventura hæc verba de Christo, qui vere humilis fuit, exponit, dicens: « Christus scilicet, qui non vult ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis. »

## VERSUS 41.

*Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras?*

*Quid autem vides festucam in oculo fratris tui.*

**1.** — Beda verba hæc ad id quod paulo ante Salvator dixerat, relationem habere dicit; nimirum, quod cæcus alterius cæci dux esse non possit: « Id est, peccantem a peccatore castigari non posse præmonuit. »

**2.** — S. Bonaventura per hoc nomen *festuca*, levem quemdam defectum intelligit, quem quis in aliis reprehendit, dum vitium aliquod valde enorme in seipso emendare non curat: « Ideo addit: « *Trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras, id est, magnum peccatum.* » Theophylactus similiter dicit: « Modicum eriminis in oculo fratris tui vides, *trabem autem, quæ in oculo tuo est, id est, peccatum tuum maximum non advertis?* » Qui idem ulterius ostendit, qualiter hoc in illis Prælati et Principibus verificetur, qui in levibus subditorum suorum transgressionibus castigandis severi sunt, cum tamen suas, quæ graves sunt, impune transire permittant. Cajetanus dicit: « Non est sermo de *videre*, id est, scire, sed de *videre*, id est, ponderare, damnantur enim, qui magnam pendunt parva aliorum criminata, cum ipsi habeant magna. » In Græco textu habetur: *Quid autem curioso et lynceis oculis intueris festucam in oculo fratris?* Chrysostomus, *Hom. xxv in Matth.*, idipsum in nonnullis exemplificat, qui se adversus religiosos nonnunquam veste aliqua superflua indutos, valde se zelosos exhibent: « Cum milles ipsi aliena diripiunt et quotidie avaritiæ crimen exercent; » dum nonnunquam religiosos refectione solito liberaliore se restaurare videntes, « accusatores existunt amari, ipsi quotidie crapulati ac temulentii, ignorantes, quod cum propriis admisis, hinc quoque sibi congregant magis incendium, omnique semetipsos excusatione dentur. »

**3.** — Interlinearis de illis exponit, qui proprios defectus non emendant, aliorum defectus censura sua divexant, aliisque improperant: « Non enim est prius idoneus Doctor aliis mederi, nisi prius se sanaverit. »

*Trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?*

**4.** — Albertus Magnus dicit, quod, priusquam alios didicimus, nostræque censure subjectionem, necessum sit ut de nobismetipsis severum examen instituamus, juxta illud Ecclesiastici, xxxi, 48: « *Intellige ea, quæ sunt proximis tui ex teipso, et nisi homo ex seipso consideret, non bene judicat*

« proximum, *Psal. xvi, 2: De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æqualitatem.* »

**5.** — « Non quidem quod trabs possit esse in oculo, » inquit Didacus Stella, « sed ad significandum periculum, quod sequitur hominem existentem in peccato; nam si quis festucam vel trabem in pede, vel manu, vel quavis alia parte corporis habeat, non est manifestum periculum, in oculo autem gravissimum est: ita dicendum de peccato, si ad eum conferatur, in quo est, quod quidem conscientiam destruit. » Oculus non solum non potest sufferre intra se trabem, sed nec paleam, nec minimum pulveris atomum, sed ingentem inde patitur dolorem et tormentum, donec ejiciatur foras et oculus serenetur; eodem quoque modo anima averisionem habere debet non solum a peccatis gravibus et mortalibus, quæ in trabibus denotantur; verum etiam a levibus, quæ per festucas et quemvis minutissimum pulverem designantur, siquidem etiam hæc pupillam offendunt. Unde optime monet S. Bernardus: « Tu ne leve dixeris, in quo Deo offenditur. » Nequaquam cunctari debemus in liberanda anima nostra a peccatis, maxime quando sunt mortalia, imo aversio infinita, quæ oculus omnia illa, quæ illum obscurare possunt, abhorret, odium in nobis cujuslibet etiam minimæ offensæ excitare debet. Unde Didacus Stella ait: « Observabis oculum terrerrimam esse rem et vel levi re gravissime lædi, ita ut statim lacrymas diffundat et si festucam habet, nunquam quiescit, donec illam foras ejiciat; multo ergo tenerior res est anima, et exiguo peccato offenditur et coæquatur, et sic justis viri animæ leves culpas flet, quasi maximæ sint. »

**6.** — Lucas Brugensis indiscretum quorundam zelum redarguit, qui in reprehendis peccatis alienis severissimis censoribus existunt, proprios minime considerantes: « Quare tam oculatus et curiosus es in censendis atque arguendis aliorum vitiiis et cæcus indulgens in tuis, longe majoribus iis et gravioribus? »

**7.** — Impossibile quidem est, inquit Didacus Stella, quod quis intra oculum suum trabem habeat, nec tamen id sentiat, aut animadvertat; verumtamen si idipsum forte aliquando fieri posset, idipsum mortui non vero vivi hominis argumentum esset: « Mirum est, ut non sentias trabem, quæ est in oculo tuo, et credo id non ob aliud esse, quam quia mortua est anima tua; nam oculus mortuus facile festucas susinet et trabes. »

## Additiones.

**a.** — Christus Salvator noster apud S. Lucam, vi, 41, nobis improperat, dicens: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* ubi per trabem, peccatum grave intelligitur, quo obnoxii existentes, leves aliorum reprehendimus defectus. Merito peccatum grave trabs nomine appellatur, quia ex trabibus multa cæduntur ligna igni fovendo deservientia. S. Augustinus circa præfata Christi verba ingeniosam habet observationem; ait enim: « Festuca initium trabs est; nam trabs quando nascitur, prius festuca est. Rigando festucam perducis ad trabem; alendo iram malis suspitionibus perducis ad odium. » Quod si inquireret undenam processerit inimicitia illa, per quam ditissima illa et nobilissima familia totaliter subversa fuit, invenires utique, hanc ex actu aliquo subsannationis, derisionis et ludibrii quem alter cui derisio illa facta est, digere non potuit, primordialiter fuisse exortans: *Ecce quam modicum ignis quam magnum sylvam incendit!* Nullum unquam scelus in mundo commissum est, quod exacerbalis eo fuerit, quod Judas patravit, tradendo et vendendo Christum verum Dei Filium, in mortem. Hoc autem horrendum scelus derivatum est ex hujus Apostoli avaritia, in primis initiis ab eodem neglecta, prout sacri interpretes observant. Non enim constat de commissis per illum furtis, aut extorsionibus, sed quia in sua custodia illas habebat eleemosynas, quæ Christo ad conservandam pauperulam suam familiam tribuebantur a fidelibus, ipse hæc commoditate abutens, occulte sibi ex illis pecuniis aliquas reservavit in usus privatos, sicut hæc invalescente paulatim in ipso inordinato hoc avaritiæ vitio, ut triginta illos sibi compararet argenteos, cælestem Magistrum in mortem divendidit. Merito igitur Chrysostomus monet inquis, in *Psal. vi*: « Ne priora negligamus, ne mala in majus crescant. Judas si pecuniæ amorem coercuisset, non venisset ad sacrilegium. Christus non solum fornicationem et adulterium, sed impudicum etiam obtutum reprimat; radicem ab imo evellens ut facilius possit superari vitium. » Idem S. Doctor in progressu ejusdem Psalmi, hanc quoque utilissimam tradit doctrinam inquis: « Quando parvam animæ perturbationem susceperis, ne eam neglexeris, quod parva sit, sed consideres, quod id quod ex ea alitur maxima mala parit. Etenim postquam in domo aliqua parum stuppe accensum viderimus, conturbamur et tumultum movemus; non enim attendimus initium, sed ex initio finem considerantes movemus et concurrimus, ut totum caninum extinguamus. Hoc igne vehementius animam exedit vitium. Oportet itaque prævenire, nam si fuerimus negligentes, in correctu evadit difficilior. »

**b.** — Regius Psalmes de correctione fraterna disserens, se quamdam Dei vocem audivisse testatur, peccatori dicentem, *Psal. xlix, 16: Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum?* Quæ verba S. Ambrosius ita exponit: « Usurpas tibi ut de

« lege arguas, qui contra legem ipse fecisti. » Et ideo salubriter S. Augustinus hortatur ut prius nosmetipsos examinemus, videamusque an forte isdem simus vitis contaminati, que aliis improbare, aut in iis emendare contendimus : « Si cogi-  
« tantes nosmetipsos invenerimus in eo esse vitio,  
« in quo est ille quem reprehendere parabamus,  
« non reprehendamus, neque oburgemus, sed  
« tamen cum gemitu, non illum ad obtemperan-  
« dum nobis, sed ad pariter cavendum, invitemus. »

e. — Quidnam Job dicere voluisse existimatis, dum ait : *Quare persequimini me sicut Deus?* S. Gregorius ita eum loqui dicit, quod a nonnullis suorum præter fas et æquitatem fuisse reprehensus : « Ac si aperte diceretur, ita me ex infirmitatis tibus meis affligitis ac si ipsi more Dei nihil « infirmitatis habeatis. » Qui idem sanctissimus Pontifex paulo ante dixerat : « Tanto omnipotens « Deus justus aliena vitia percuit, quanto in « semetipso nihil habet vitiorum. » Idem quoque patientissimus Propheta alio in loco protestatur dicens : *Quod si non ita est, quis me arguere poterit esse mentitum?* quasi diceret : Tametsi quidquid haecenus asserui, verum sit, attamen quis vestrum, etiamsi falsum esset, exprobrare id mihi poterit? Ita namque verba hæc S. Gregorius exponere videtur, dum ait : Justus namque etsi quid unquam « delinquendo loquitur, dignum non est ut ab in-  
« justis et prave viventibus judicetur. Unde sanctus « vir antiorum superbiam deprimens, non solum « si ita est, verum etiam si ita non est, ut protulit, « nequaquam se reprehendi posse confudit, quia « nimirum illi recte redarguere falsa possunt, qui « falsa agere nesciunt; nam correptionis ausum « contra fallaciam perdit, qui adhuc fallaciter « vivunt. »

## VERSUS 42.

*Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non evidens? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.*

*Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Frater, sine, etc.*

1. — S. Bonaventura hisce Christi verbis : *Aut quomodo potes dicere*, hanc glossam adjicit : « Exterius scilicet ipsum alloquendo, qua enim facie « aliquis alium culpæ alienius redarguere aut con-  
« demnare vellet, cuius ipse longe magis reus « esset? Quasi dicat : Non potes hoc rationabiliter « dicere ; potest enim tibi dici : *Qui alium judicas, « teipsum non judicas*, et illud : *Medice cura teipsum* ; unde talis monitio merito potius despicitur quam « audiatur, » nam ut S. Gregorius ait : « Cujus vita « despicitur, restat ut ejus prædicatio contemna-

« tur. » Albertus Magnus quoque illum ex *lib. I Parad.*, xviii, 3, textum allegans : *Non edificabis domum nomine meo, eo quod sis vir bellator et sanguinem fuderis*, Glossam citat dicens : « Sorde-  
« tergere non valet manus, que lutum tenet. » Nihilominus idem Seraphicus Doctor majoris charitatis causa, hanc adhibet distinctionem, dum ait : « Attende autem, quod si Prelatus trabem habeat, « non in oculo, hoc est, in publico, sed in occulto, « ille cum timore, tempore necessitatis corrigere « poterit; si autem in proptulo, non debet usur-  
« pare correctionem. Hodie major pars et trabem « portat publice in oculo, vel etiam jactat, et « tamen festucas in oculis subditorum, pena pec-  
« niaria plectunt, non educunt. »

2. — Toletus illis, qui tametsi ipsimet reprehensibiles sint, alios tamen corrigere presumunt, his verbis respondet : « Hoc repellens Dominus, in-  
« quit : *Quomodo potes dicere : Sine ejiciam?* qui « enim trabem suam non considerat, difficillime « curabit alterius festucam ejicere. » *Corripiet me justus*, inquit David, sic quoque Samuel, se judicem populi et consequenter in necessitate alios severe reprehendendi positum esse videns, prius vitam suam propriam justificare et inculpabilem ostendere voluit, dicens, *I Reg.*, xii, 3 : *Loquimini de me coram Domino, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum, si quempiam contuminiatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi;* cui proinde omnes protinus innocentie et sanctitatis suæ indubitatum perhibere testimonium. At vero dicit fortasse aliquis, hanc Samuelis justificationem, non bene consonare cum illo dicto Sapientis, *Prov.*, xxviii, 17 : *Justus prior accusator est sui;* sed difficultas ita protinus cessabit, si consideretur Samuelem hoc fecisse, quando jamjam aggressurus et exercitaturus erat correctionis officium. Unde Hugo Cardinalis ait : « Nota prudentiam Samuelis, « ipse volebat peccata obijcere Judæis, et ideo prius « se purgavit, et ita tutius potuit eos arguere. » S. Anselmus super illa verba : *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*, ita scribit : « Qua libertate « alienos filios corrigere possumus et docere qua « recta sunt, cum nobis statim, qui fuerit correptus, « ingerere potes? Ante doce filios tuos. » Postquam Scribæ et Pharisei adulteram in peccato deprehensam, coram Christo adductes emendam, an secundam legis præscriptum lapidanda esset, interrogarunt, Christus iis affirmative respondit, cum hæc tamen annexa conditione, ut qui inter eos innocenter esset, primus in eam lapides jaceret, ubi S. Gregorius ait : « Ad aliena quippe peccata pu-  
« nienda ibant et sua reliquerant; revocantur igitur « prius ad conscientiam, ut prius propria corrigant « et tunc aliena reprehendant. » Quando patientissimo Job a propinquis amicis multa, licet falsa et ficta, imputabatur malitia, patientissimus Propheta,

id ægre ferens in hæc fere verba isdem respondit : *Quare persequimini me, sicut Deus?* Sed quisnam hic est, inquit, loquendi modus, quo Propheta illos, num eum sicut Deus persequi velint, interrogat? S. Gregorius, *lib. XIV*, c. xxiv, hæc ejus verba hoc modo interpretatur : « Ac si aperte diceret : « Ita me ex infirmitatibus meis affligitis, ac si ipsi « de more Dei nihil infirmitatis habeatis. » Idem vero Ecclesie Doctor paulo ante de Deo nostro dixerat : « Tanto omnipotens Deus justius aliena « vitia percuit, quanto in semetipso nihil habet « vitiorum. »

3. — Auctor Imperfecti, *Hom. xviii*, ait : « *Quomodo fratri tuo dicis*, id est, quo proposito? Putas « ex charitate cordis, dicis, ut salves proximum « tuum? Non, sed ut te simulcs justum, si autem « vere ex charitate cordis argueres proximum « tuum, ut salvares, teipsum ante salvares? Num-  
« quid possibile est, ut benevolentior sis aliis quam « tibi? » Ac tandem concludit, quisquis alios corrigere satagit, non prius emendans seipsum : « Cer-  
« tum est, quia alloquentes in Ecclesia non alios vult « salvare, sed per bonam doctrinam malos actus « suos celare. »

## Hypocrita.

4. — S. Bonaventura ait : « Hypocritam vocat, « talem judicem temerarium, qui in judicando « alios ostendit et præterdit zelum justitiæ et se-  
« ipsum non judicando, habet vitium intus latens « superbie; vel hypocritam vocat, qui exteriora « ponderat, interiora negligit, que sunt magis « ponderanda. »

5. — Cajetanus aliam adducit rationem, cur Sal-  
vator noster eum, qui cum in semetipso sit reprehensibilis, aliorum vult esse censor et corrector, hypocritam vocet, quia reipsa officium exerceat hominis boni, integri et zelosi, cum ceteroquin malus sit et impius : « Quia itaque officio ponderandi et « corrigendi alienos defectus agit virum bonum, et « non est vir bonus, ideo hypocrita dicitur. »

6. — Chrysostomus Dominum nostrum his verbis indignationem suam indicare voluisse dicit, qua ab ejusmodi censoribus est aversus : « Hic iram « vult monstrare plurimam, quam habet in eos, « qui ista committunt. » Notat enim sanctus hic Doctor, quod Dominus noster in aliis quoque occasionibus, quando se ob gravem aliquam transgressionem exhibere voluit subiratum, semper fere similibus verbis fuerit exorsus, unde servi illius, cui decem millia talenta condonata fuerant, quique in concervum et debiorem suum, qui centum ei denarios debebat, adeo crudelis extiterat, nequitiam et malignitatem indicare volens, dixit : *Serve nequam*, etc. Ita hic quoque ait : *Hypocrita*, non « enim pietatis est tam rigida hæc adversus delicta « sententia, sed inhumanitatis, et personam sibi

« quidem dilectionis imponit, opus autem malitiæ « implet extremæ, dum falsa proximo opprobria « affligit, et criminata, et invadit locum magistri, « cum non sit dignus tenere discipuli. »

## Ejice primum trabem de oculo tuo.

7. — « Teipsum primo mundum ostendas, » inquit glossando S. Cyrillus, « a magnis peccatis, conse-  
« quenter consules proximo modica committenti. » Idem quoque S. Bonaventura his verbis monet : « Circa hoc principaliter insistendum, ut trabs, id  
« est, grave peccatum de interiori oculo ejiciatur. » *Purificate corda duplices animo*, inquit Zacharius, *iv*, 8. Et Ecclesiastici, *xiv*, 5, dicitur : *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?* debet enim charitas esse ordinata, ut primo intendat sibi, et post alios. Idem quoque Cajetanus observat, dum ait : « Ordi-  
« nem damnat cælestis Magister; » non enim delinquentem et transgressorem reprehendere ve-  
« tat; sed prius vult, ut unusquisque semetipsum reprehendat : « Quia primum debes videre et pur-  
« gare teipsum, et deinde videre et purgare alios. »

8. — Venerab. Beda per hanc trabem, odii passionem intelligit, que judicium et discursum nostrum obfuscatur : « Id est, primo abs te expelle odium « et deinceps poteris jam eum, quem diligis, emen-  
« dare. »

9. — D. Chrysostomus, *Hom. xxiv in Matth.*, dicit, Christum hic nos exhortari, ut prius nos ipsos emendemus et postea proximorum nostrorum salutem procurare nitamur : « Nam et sua unusquisque « facilius cognoscit, quam utique ceterorum, et « seipsum magis amat quam proximum; itaque si « aliteris curam gerens id facis, teipsum ante « curato, in quo et manifestus invenitur peccatum « et grandius; sin autem teipsum contemnis « ac despicias, liquet omnino, quod fratrem tuum « ipse odio judices, non studio disciplinæ, nec « emendare illum cupias, sed notare. »

10. — Venerabilis Beda pulchrum nobis modum præscribit, quo officium hoc reprehendendi alios, dum necessitas id exigit, exercere utiliter valeamus : « Primo cogitemus, utrum tale sit vitium, « quod nunquam habuimus, et si nunquam habui-  
« mus, cogitemus et nos homines esse, et habere « potuisse; si vero habuimus et non habemus, « tangat memoriam communis infirmitatis, ut illam « reprehensionem aut oburgationem non odium, « sed misericordia præcedat. »

## Et tu perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.

11. — Toletus bene observat, quod non solum dixerit, *perspicies*, quia hoc etiam trabem in oculis ferentes facere poterant, siquidem hypocrite et impii, Argi sunt, et lyncos oculos habent in detegendis et censurandis aliorum peccatis : « Sed ejecta

« trabe perspicies, ut educas, non ut dicas tantum, « sed ut cum effectu *educas festucam*, id est, tunc erit « utilissimum et fructiferum perspicere festucam, « et dicere fratri, ut ejiciat festucam; plus enim fit « exemplo quam verbo, et verbum vires habet ab « exemplo. » Quia vero Pharisei ipsi non faciebant ideo illos hypocritas appellavit. S. Apostolus, *1 Tim.*, II, postquam Timotheum hortatus fuisset, ut se exemplum præberet eorum operum, quæ aliis persuadere aut præcipere volebat, protinus subjunxit: *Præcipe hæc et doce*. S. Gregorius argute considerat, quod idem Apostolus ad Titum scribit, nimirum: *Hæc loquere, et argue cum omni imperio*; « cum imperio quippe, docetur » inquit, « quod « prius agit quam docetur. » S. Matthæus efficaciam prædicationis Christi commendare volens, dicit: *Erant docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisei*, idque, quia ut S. Lucas testatur: *Corpûs Jesus fuere et docere*.

#### Additiones.

a. — Postquam increata Sapientia de temerariis disseruisset iudicis, dicendo: *Nolite judicare et non judicabimini*, pergît ulterius quorundam perstringere arrogantiam et temeritatem, qui cum ad fauces usque vitibus sint immersi, de culpis tamen levibus proximis suos judicare et condemnare non dubitant; eosque similes esse dicit illis, qui cum trabem in oculis suis ferant, ad discernendum tamen festucas in oculis aliorum, Argos se præsumunt exhibere: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Id est, ut exponit Theophylactus: « Modicum cum criminis in oculo fratris tui vides, trabem autem, quæ in oculo tuo est, id est, peccatum « tuum maximum, non advertis. » Qua de re S. Thomas ait: « Dicendum quod illi qui sunt in gravibus peccatis, non debent judicare eos qui sunt « in iisdem peccatis, vel minoribus. » Aut quomodo potes dicere fratri tuo: *Sine, ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns?* Quæ verba S. Bonaventura hoc modo declarat: « Quasi « dicat: Potest tibi dici: *Qui aliam judicas, teipsum « non judicas?* Hic revocat a temeritate judicandi, « quod quidem facit ostendendo eum, qui temere « judicat, iniquum in cogitatione, indiscretum in « locutione, inordinatum in operatione. » Nomine igitur trabis, peccatum indicat temere judicantis; hic enim præter peccatum proprium, sibi et ipsi culpam adangit; id quod etiam D. Chrysostomus his verbis observavit: « Si relictis rebus tuis, sedes « ad judicandum alios majores te, tibi ipsi colligere « peccatorum sarcinas non sentis. Idcirco, obsecro, « fugiamus omnino, ne condemnemus alios. » Nimis enim arrogans est temeritas, dissimulando peccatum et vitium proprium, quiquis est immersus, oculum suum in domos dirigere aliorum, illo-

rum censurando et judicando defectus. Id quod etiam Petrus Blesensis his verbis indicat: « Temerarium est si tuum delictum dissimulas et judicas alienum. » S. Ambrosius exponens verba illa Psalmi cxviii: *Secundum iudicium tuum vivifica me*, quam periculosum sit aliquis aliena judicare peccata, in quibus et ipse suam partem habet, demonstrat, inquiens: « Grave est de alio judicare; unde « etiam scriptum est: *Nolite judicare et non judicabimini*. Cum enim unusquisque sit suorum conscius peccatorum, quomodo potest de alterius « judicare peccato? Judicet de alterius errore, qui « non habet, quod in se ipso condemnet. Judicet « ille qui non agit eadem, quæ in alio putaverit « puniendi, ne cum de alio judicat, in se ferat ipse « sententiam. Judicet ille qui ad pronuntiandum « nullo odio, nulla offensione, nulla levitate ducatur. »

b. — Divus Chrysostomus sensum verborum illorum: *Quid autem vides festucam*, etc., considerans, declarat cælestem Magistrum non vultuisse generaliter prohibere ne quis omnino condemnet et judicet delinquentes, quia nonnulli illorum sunt publici et manifesti, et consequenter detestandi: « Hic non generaliter, » inquit, « omnia peccata « prohibuit judicari, nec prorsus istius rei abstulit « potestatem, sed profecto solis, qui cum flagitiis « abundant innumeris, alios de levissimis quibusque « delictis tota temeritate condemnant. » Quos in progressu ejusdem homilie iudices amarus appellat, dicens: « Noli judicare, noli effici iudex amarus: « *Quid vides festucam*, etc. » In hunc autem errorem multi profecto incidunt. Videbunt, inquit idem S. Doctor, monachum quemdam veste superflua indutum, et subito illi dietum objicient Christi, præcipientis ut unica sint tunica contenti, cum tamen ipsi mille habeant vestes inutiles in armariis suis, vel extorsionibus suis alios spoliare satagant. Videbunt religiosum aliquem sibi in modico cibo solito indulgentiorem esse, et statim sinistram de illo concipient opinionem; cum tamen ipsi quotidie crapulæ indulgant et inebrientur. Quos idem S. Doctor his verbis monet: « Ut diligenter peccata « examinentur tua, legem primus ipse possidis, « severius, de his, quæ proximis peccaverint, judicando. »

c. — Quando Nathan Davidi exposuit, qualiter dives quidam alteri egeno suam surripisset oviculam, quam filia loco habebat et nutriebat, ut gregi suo copiosissimo parcens, venienti ad se peregrino epulas pararet, David subito iratus, magna cum severitate respondit: *Iratus autem indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Vivit Dominus quantum filius mortis est vir qui fecit hoc. Ovem reddet in quadruplum*. II Reg., XII, 5. Neque David cogitabat quod Nathan propheta, de adulterio et homicidio ipsius loqueretur.

In parabola, quam Christus Phariseis proposuit de vinea, legitur quod postquam Christus vitiores servos, quos Paterfamilias ad fructus ab eis exigendos miserat, sicut et proprium filium occidisse dixisset, Phariseos interrogavit: *Cum ergo venerit Dominus vinea, quid faciet agricolis illis?* Qui subito inadvertenter respondententes, condemnarunt seipsos; nam aiunt illi: *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis*. S. Propheta Job ait: *Os meum condemnavit me et pravum me esse comprobavit*. Sed etiam, quot sunt hodie quibus idem accidit, qui cum proprios defectus non considerant, judicando alios, condemnant seipsos?

d. — S. Gregorius, in homilia quadam super Ezechielem, causam cur oculos nostros in defectus aliorum, non vero in proprios dirigamus, his verbis

edisserit: « Sunt multa peccata, quæ committimus; « sed idcirco nobis gravia non videntur, quia prius « valo nos amore diligentes, clausis nobis oculis, « in nostra deceptione blandimur. Unde fit plerumque « que ut nostra gravia leviter, et proximorum mala « levia graviter judicemus. » Idem quoque rationem explicat, ob quam adeo severi sumus iudices quoad alios, cum tamen eandem iudicii severitatem non adhibeamus quoad nos ipsos; dicit enim: « Sed quare hoc grave videtur nobis esse in « proximo, nisi quia nec nos sicut proximum, nec « proximum conspicimus sicut nos? Si enim nos « sicut proximum aspiceremus, nostra reprehensibilia districte videremus; et rursus, si proximum « aspiceremus ut nos, nunquam nobis ejus actio « appareret intolerabilis, qui sepe fortasse talia « egimus. »

## DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCE, CAP. XIV, VERS. 16

16. Homo quidam fecit cenam magnam, et vocavit multos.

17. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia.

18. Et cœperunt simul omnes excusare: Primus dixit ei: Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam; rogo te, habe me excusatum.

19. Et alter dixit: Juga boum emi quinque, et eo probare illa; rogo te, habe me excusatum.

20. Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire.

21. Et reversus servus nuntiavit hæc Domino suo; tunc iratus Paterfamilias, dixit servo suo: Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, et cæcos et claudos introduce huc.

22. Et ait servus: Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est.

23. Et ait Dominus servo: Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea.

24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

#### VERSUS 16.

*Homo quidam fecit cenam magnam, et vocavit multos.*

#### Homo.

1. — Si per eum, qui cenam hanc magnam instituit, Filium Dei intelligamus, confestim dubium quoddam nascitur, cur hic Dei Filius homo appelletur. Lyranus dicit: « Homo appellatur, id est, Christus versus homo. » D. Chrysostomus considerat quod Deus in aliis occasionibus justitiæ suæ rigorem demonstrare volens, vel urso, vel pardo, vel leoni, etc., sese similem esse per Prophetas dicit: « Quando vero misericordiam exprimere

« vult, dicitur homo. » Similem quoque considerationem Didacus Stella super hæc verba scribens adducit, inquiens: « Homo hic vocatur Deus, quia « benigne et misericorditer nos vocat, et allicit ad « epulas vitæ æternæ. »

#### Quidam.

2. — Hugo Cardinalis Salvatorem se hoc nomine appellasse censet ex sensu humilitatis et contemptu sui ipsius, et ad superbiæ nostræ confusionem: « Iste homo quidam, est Christus Dominus, qui « homo, vel hominis filius vult appellari, cum « tamen sit Deus et Dei Filius, in confusionem « multorum, qui cum sint inferiores genere, volunt « tamen denominari ab accidente; cum enim sint